



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Qvid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

XVI. Vtrùm Episcopale vinculum iure diuino indissolubile sit, velinde
immutabilitatem habeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

Vtrum Episcopale vinculum iure diuino indissolubile sit, vel vnde immutabilitatem habeat.

in illis; quia propter suam dignitatem, & excellentiam summe adheret.

Sed nihilominus hic modus dicendi nobis non satisfacit, quia illa immobilitas obligationis conditionata, seu ex suppositione muneris valde imperfecta est; cum ex sola libera voluntate conditio illa pendeat, vt in fine capitis decimi dictum est. Nec ex sola dignitate, & excellentia muneris nascitur sufficiens immobilitas, si nulla obligatio permanendi in tali munere adiungatur. Tum, quia sicut muneris dignitas ad permanendum in eo inuitat, ita difficultas, & arduitas deterret etiam prudentissimos homines, qui agnoscunt Episcopatum magis oneris, quam honoris esse debere: vt notat August. lib. 19. de Ciuit. cap. 19. Hier. epist. 83. ad Ocean. & Chrylost. hom. 10. in 1. ad Timoth. Tum etiam, quia vtrumque res pendeat ex sola libera hominis voluntate, non potest dici satis firma, & permanens, ideoque dicendum est simpliciter Episcopatum habere absolutam immutabilitatem moralem; quia eo ipso, quod semel acceptatur, secum affert perpetuum obligationem permanendi in tali munere; ita vt non possit pro arbitrio proprio relinquere. ita habetur ex iure inferius referendo. Difficultas vero est in explicando, vnde talis obligatio oritur, quae longiore postulat disputationem, quam sequenti capite trademus.

Altero vero pars proposita de differentia constituitur, vt sic dicam, huius status, in specie talis status perfectionis, vtique exercendae facile potest expediti, proprias actiones, ad quas status hic obligat, & personam perpetuo dedicat, considerando. Nam munera Episcopalia perfectissima sunt, vt illuminare, purgare, ac perficere alios. Vnusquisque autem status talis est, qualia sunt opera ad quae ordinatur: nam ab illis quasi speciem sumit, sicut habitus, & alia, quae ad actus ordinantur; & ideo quales sunt episcopales functiones, talis est hic status. Quod vero tertio loco contra hanc partem obieciatur, solum probat statum Episcopi non esse statum perfectionis acquirendam, non vero quod non sit status perfectionis exercendae. Vnde concedimus ad hunc statum constitutum non esse necessaria vota de aliquorum consiliorum obseruatione: nam de se nullum votum requirit Episcopatus, vt ostensum est. Et licet de facto habeant Episcopi votum castitatis, illud per se non est necessarium ad hunc statum constitutum: vt patet in Episcopo electo, & confirmato, & non dum in sacris ordinato. Et ex vi iuris diuini potest Episcopus consecratus esse vnus uxoris vir, & nihilominus esset in statu perfectionis. Ratio est, quia illa consilia, eorumque obseruantia non continent formalem perfectionem, sed sunt instrumenta ad illam acquirendam, sine illis tamen potest inueniri perfectio; & ideo etiam potest sine illis status consistere, qui ex se hominem perfectum requirit, & ad opera perfecta obligat: quod pertinet ad statum perfectionis exercendae. Sicut status regis dici potest status prudentiae, & fortitudinis, non quia illas praebeat, nec docet, quomodo acquirendae sint, sed quia illas de se postulat, ac supponere debet, vt tale munus conuenienter exerceatur; & simili modo munus Doctoris, seu docentis dici potest quasi status doctrinae; non quia faciat doctum hominem, sed quod in illo talem perfectionem supponit, ac requirit. Ad hunc ergo modum status Episcopi status perfectionis, seu viri perfecti merito appellatur.

In hoc puncto variae sunt opiniones. Prima docet Episcopos obligari ad perpetuo permanendum in munere suscepto ex iure diuino, & naturali. Ita docet Caiet. 22. q. 184. art. 6. solumque id probat. Quia Episcopus ex vi suae institutionis est causa principalis effectuum, seu actionum ad munus suum pertinentium; sed causa principalis ex natura sua tenetur assistere suo effectui: ergo & Episcopus ex iure naturae tenetur ad opera sui muneris, ac subinde ad opera perfectionis exercenda, qualia sunt ea, per quae salus animarum procuratur. Eandem opinionem tenet Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 241. cap. 1. & 3. & 7. licet ex fundamento distincto, & consequenter in sensu longe diuerso. Fundamentum ergo eius est, quia vinculum Episcopi cum sua Ecclesia ex diuino iure est indissolubile, ac perpetuum. Ex quo principio optime sequitur Episcopatum vi sua obligare Episcopum, vt perpetuo in suo munere permaneat; ideoque constituitur illum in statu spirituali, non minus, quam matrimonium carnale constituat personas in statu humano, seu civili. Illud autem fundamentum probat ex antiquis Pontificum decretis agnoscendis hoc matrimonium spirituale inter Episcopum, & suam Ecclesiam: vt sunt Euarist. in Epist. 2. in principio, & Calixt. I. in epist. 2. cap. 3. & iuuant alia decreta, quae absolute prohibent, ne Episcopus Ecclesiam, quam semel acceptauit, deserat, etiam propter quietem religionis: vt declarat Liberius Papa in epist. ad omnes Episcopos, nec propter transitum ad aliam Ecclesiam, vt disponunt Iulian. I. epist. 1. Leo I. epist. 82. alias 88. Gelas. epist. 6. & Pelag. II. epist. 2. & Conc. Antioch. II. cap. 25. & Conc. Sardicent. cap. 1. Maxime vero fundatur prohibitio in hoc, quod primum vinculum est indissolubile. Nam si esset ex se dissolubile, possit Episcopus sua voluntate illud dissolvere cum priori Ecclesia, & aliud cum alia sua voluntate contrahere, si alia libere etiam consentiret, sicut fieri potest in omni contractu humano dissolubili.

Maxime vero nititur haec sententia in Decretalibus Innocentii III. qui hoc modo videtur antiqua decreta explicare. Nam in ca. inter corporalia. de transl. Episc. ex eo, quod spiritualia firmiter sunt, & difficilius dissoluantur, quam corporalia, sic inferunt: *Dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale coniugium, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, suo tantum iudicio reseruauerit dissoluendum.* Quam illationem probat, quia vinculum carnalis matrimonii suo iudicio reseruauit Deus, cum dixit, *Quos Deus conuenit, homo non separet*, Matth. 19. Ex quibus verbis duo sumuntur apparentissima argumenta. Vnum est, quia nullum vinculum, nullamve obligationem reseruauit sibi Deus quoad dissolutionem, vel dispensationem, nisi quae iure ipso diuino introducta est: sed vinculum spiritualis coniugii Episcopalis sibi Deus reseruauit dispensandum; ergo est indissolubile iure diuino. Aliud argumentum a fortiori sumitur ex vinculo matrimonii carnalis: nam (vt supponimus) illud est indissolubile iure diuino; sed vinculum spirituale Episcopi firmiter est: ergo multo magis est de iure diuino. Tertium etiam addi potest ex verbis, quae ipse Pontifex inferius subiungit; cum enim dixisset, quoties vinculum Episcopale per translationem, depositionem, vel cessionem dissoluitur auctoritate Pontificis, diuina auctoritate dissolui, statim subiungit: *E ideo tria haec, quae praemisimus, non tam institutione canonica, quam institutione diuina, soli surs Romano Pontifici*

Opinio asserentium Episcopos tenere ex iure diuino non ad permanendum in munere suscepto.

Quo praesertim quod nitatur haec sententia.

Primum argumentum.

Secundum dictum.

Tertium.

Handwritten marginal notes in large letters, including 'D' and 'N'.

Pontifici reservata. Vnde sic concluditur, reservatio diuina supponit institutionem diuinam vinculi indissolubilis; sed quilibet modus dissoluedi hoc vinculum est reservatum Pontifici iure diuino: ergo supponit indissolubilitatem in illo vinculo ex ipso iure diuino. Quarto, hoc idem confirmat ipse Pontifex, in cap. licet, seu ultimo eiusdem tituli, dicens: Sicut matrimonium homo dissoluere nequit, sic etiam spirituale sicut coniugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, sine illius auctoritate dissolui non potest, qui successit est Petri, & Vicarius Iesu Christi. Quinto addi possunt verba eiusdem Pontificis, in cap. nisi cum pr dem: de renunt. vers. Verum si, propter laboris angustias, aut persecutionis incursum non debes deserere sponsam tuam, cui desigendo manum, apud extraneum te sine media copulasti.

Quartum.

Quintum.

3.

An Episcopus potest in hac sententia sit v. n. eulom in d. solubile in e diuino postituo, an naturali.

In quo conueniant, & differant a. n. s. & v. s. g.

Quale autem sit hoc diuinum ius, an naturale, vel positium, ab autore illius sententiae, non satis declaratur; indicat tamen posse dici de iure diuino positium, quatenus ipsa institutio Episcopatus est iuris diuini positum, vique ex voluntaria Christi Domini institutione; posse vero dici esse de iure diuino naturali, quatenus supposita institutione talis muneris, vt ad Christo facta est, ex natura ipsius sequitur talis obligatio. Sicut supposita institutione Baptismi ex diuino iure naturali, obligatur fidelis ad non recedendum a Baptismo, & ad illud iterum non recipiendum. Et in hoc aliqua ex parte conuenit hac sententia cum opinione Caietani: nam etiam Caietanus dicit esse hanc immutabilitatem de iure diuino naturali, quod necesse est intelligi supposita institutione, quia sine illa nullum esset fundamentum talis iuris naturalis: vt est per se clarum. Differre autem videntur dicti auctores, quia Caietanus, quantum ex eius ratione colligi potest, non fundat immobilitatem status Episcopalis in vinculo indissolubili Episcopi cum sua Ecclesia particulari, cui semel desponsatus fuit, vt Vasquez procedit: sed solum nititur in absoluta institutione Episcopalis gradus in ordine ad Ecclesiam vniuersalem, quia est per modum causae principalis, quae ex natura rei suo effectu assistere tenetur. Nam ex vi huius rationis non tenetur Episcopus assistere huic loco, vel illi ex natura rei, sed vbi que id impleat, suo munere satisfaciatur, & illa immobilitas ad immobilitatem status sufficit; quia semper Episcopus ex vi muneris tenebitur operibus perfectionis insistere, siue huic, siue illi Ecclesiae inseruiat. Vnde iuxta hanc sententiam magis erit contra ius diuinum naturale absoluta renuntiatio Episcopi, quam translatio; quia per translationem non omnino deserit Episcopus munus suum, seu casualitatem illam principalem, pro qua institutus est; per renunciationem vero simpliciter denegat Ecclesiae suum influxum, & nullo modo suo effectu assistit. Et hoc videtur significasse glossa in d. cap. nisi cum pridem. vers. sponsa. Nam cum Innocentius in textu dicat, non debere Episcopum propter persecutiones, vel angustias suam sponsam deserere, glossa per sponsam, Ecclesiam militantem intelligit: nam illam quoad munus Episcopale deserit, qui absolute renuntiat Episcopatu vt quiete viuat, aut religiosus fiat.

4.

Displicet postea sententia, quia in diuino nulla ratione colligitur. Probatur primo non colligi ratione naturali.

Hac vero sententia neutro modo exposita mihi probatur, quia nullum sufficiens fundamentum talis iuris diuini, inuenio; quia nec ex sola ratione naturali, nec ex traditione Ecclesiastica ostendi potest. Priorem partem docuit Maior in 4. dist. 38. quaest. 7. Priorem partem in summa. tit. de Transl. Episc. art. 2. & Hostiens. in summa. tit. de Transl. Episc. quaest. 4. num. 5. in fin. & alii infra citandi. Et declaratur in hunc modum, quia ex natura rei nullus obligatur ad permanendum toto suae vitae tempore in ministerio, vel munere, quod semel voluntarie sus-

cepit. Ergo nec Episcopus ad hoc tenetur ex iure naturali diuino. Antecedens inductione facile ostendi potest: & consequentia probatur, quia Episcopatus est quoddam munus, seu ministerium ecclesiasticum (vt supra ostensum est) & in eo non potest peculiare discrimen assignari. Et ratione declaratur, quia cum a principio acceptatio fuerit voluntaria, etiam perseverantia in illa erit voluntaria, nisi ratione alicuius promissionis, vel pacti in ipsa susceptione muneris aliquis obligetur ad perseverandum in illo. Tunc autem obligatio non nascitur ex iure naturali immediate, sed mediante humana promissione, aut pacto. Talis autem promissio, vel pactum inducens huiusmodi obligationem, non magis est annexum muneri Episcopali de iure diuino naturali, quam aliis muneribus, aut dignitatibus humanis, siue temporalibus, vt Consulibus, Praetoribus, vel etiam Regibus siue spiritualibus, vt in aliis Praelatis Ecclesiae videre licet.

Dices, hoc verum esse considerando absolute ius naturale ante omnem institutionem, tamen supposita institutione Episcopatus, prout a Christo facta est, naturaliter sequi ius illud. Sed contra, quia haec ipsa institutio, quae supponitur, ab illa sententia non fuit per se necessaria ex vi prudentiae, vel rationis naturalis, sed fuit Christo libera; ergo ex vi rationis non potest constare, quod talis fuerit institutio. Assumptum per se clarum videtur, quia potuit Christus instituire Episcopatum, vt necessarium non esset illum concedi sub tali pacto, aut promissione. Et sicut instituendo ordinem sacerdotalem, non instituit, vt nemo ordinetur sacerdos, nisi cum pacto, & promissione suscipiendi animarum curam siue in communi, siue in particulari, in tali, vel tali parochia; ita instituendo consecrationem, seu gradum Episcopalem potuit non instituire, vt nemo consecraretur Episcopus, nisi sub pacto, vel promissione regendi alique Episcopatum, siue confusum, siue determinatum: & consequenter potuit etiam ex vi institutionis non obligare ad suscipiendum Episcopatum cum illa obligatione, & onere, & non alio modo. Ergo ex vi rationis non potest ostendi talis institutio, & consequenter nec tale ius naturale, etiam ex supposito institutionis ostendi potest.

Venio ad aliam partem de traditione, seu consuetudine Ecclesiae, & ostendo potius ex illa probari non esse indissolubile munus Episcopi cum Ecclesia, siue particulari, ad cuius titulum ordinatus est; siue vniuersali, quoad vniuersum sui muneris ex officio, & obligatione. Et in primis id ostendo a contrario ex renunciatione. Nam renuntiatio Episcopatus simpliciter facta, & sine vlla translatione, non est contra diuinum ius: ergo vinculum Episcopi cum obligatione seruandi Ecclesiae vniuersali in aliqua eius diocesi, etiam in determinate, non est de iure diuino. Consequentia clara est, quia, qui renuntiat simpliciter Episcopatu, nulli Ecclesiae postea additus manet, nec tenetur alicui inseruire ex officio: ergo si renuntiatio illa non est contra ius diuinum, nec obligatio illi contraria erit de iure diuino. Antecedens probatur primo ex dicto cap. nisi cum pridem. Nam licet dicat talem renunciationem prohibitam esse sine licentia Papae, nunquam dicit esse contra ius diuinum, sed in fine tantum dicit, cedendi licentiam auctoritate Apostolica rursus penitus interdicitam. Et rationem adiungit. Quoniam est penitus habens, quibus sat agas in solitudine adulari, ita tamen astricta sunt necibus preceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione volutarum. Vbi satis clare docet Innocentius, non diuina, sed apostolica auctoritate, & per Ecclesiastica praecipua esse liberam cessationem interdicitam; & addendo, absque permissione nostra, satis profectum

5. Obicitur, & illius solutio.

6. Deinde non colligitur nisi ex traditione Ecclesiastica, quia renuntiatio Episcopatus non est contra ius diuinum. Probatur primo.

profecto significat non esse illam dispensationem in iure diuino, sed permissionem, vel licentiam, quæ multo facilius concedi potest. Quod sanè in modo, quo ibi illam concedit, satis ostendit; sicut enim ait: *Quia verò in postulando cederet licentiam insitisti, tibi se diximus relinquendum; ut si propter aliquam causam vtilem, & honestam in huiusmodi proposito perseveres, de licentia nostra cedas.* Hinc ergo colligimus illam licentiam non esse dispensationem in iure diuino; alioquin non tam liberè, ac faciliè concederetur propter quamcumque causam vtilem, & honestam, & eius arbitrium eidem, qui licentiam petit, relinquendo. Etenim in matrimonio rato nemo dicit posse tam facile licentiam concedi marito, ut relinquat sponfam liberam propter quamcumque causam; quam iutam vel honestam iudicauerit: Nà, quia illa licentia non datur nisi dispensando in iure diuino, ideo multo rariùs, & ex grauissima causa diligenter examinata, & cognita conceditur. Ergo è contratio in nostro casu facilitas, & modus concedendi hanc licentiam ferè euidenter ostendit, illam non esse dispensationem in iure diuino.

Et confirmat hoc magis idem Innocent. III. in cap. *Quidam*, eodem tit. ubi statuit, eum, qui hanc licentiam petit, & obtinuit, cogendum esse renuciare, & rationem reddi: *Quia in postulatione huiusmodi aut Ecclesiarum commoda, quibus præsunt, aut salutem videantur propriam attendisse.* In quibus verbis considero in primis hanc licentiam licite peti, & concedi propter propriam salutem spiritualem petentis, etiam si ratio communis boni non intercedat, dummodo (ut interpretor) aliunde possit communi bono sufficienter prouideri. Inde tamen, iudicio meo, efficaciter colligitur, licentiam illam non esse dispensationem in iure diuino; Alioqui propter solam priuatam vtilitatem non esset concedenda; cum status ipse Episcopalis de se non sit tali vtilitati contrarius. Deinde considero, si vinculum Episcopi cum Ecclesia est indissolubile iure diuino, contra omnem rationem, & vltra humanam potestatem esse videri, ut aliquis contra voluntatem suam cogatur ad dissolutionem talis vinculi propter priuatam eius vtilitatem; solum, quia talem licentiam postulauit, & obtinuit. Alioqui etiam in coniugio humano, si vir petisset, & obtinisset dispensationem matrimonii rati propter aliquam vtilitatem suam, non posset valide retrocedere, sed posset compelli ad vtendum tali licentia, quod certè incredibile est. Ergo cum Pontifex in illo casu inuitum cogat ad cedendum Episcopatu, signum magnum est, firmitatem, vel dissolutionem huius vinculi ex humano iure maxime pendere, & non esse de iure diuino. Tandem confirmatur hæc pars ex eo, quod hæc dissolutio fit ab Ecclesia in poenâ delicti, per depositionem, ut ibidem dicit Innocentius; quæ depositio non est tantum quoad torum (ut sic dicam) seu quoad vsum, sed etiã est quoad vinculum. Nam reuera Episcopus à sua Ecclesia omnino separatur, & illa per depositionem priuatur; quod fieri nõ debere, si vinculum esset iure diuino indissolubile; sicut non fit, nec fieri potest in vinculo carnalis matrimonii. Quod maxime vtget, quando talis depositio nõ fit in Ecclesiæ vtilitatem, ut fieri aliquando potest, sed fit in solam vindictam criminis, etiam si Episcopus emendatus sit, & suæ Ecclesiæ æquè vtilis futurus esse credatur.

Vnde argumentor vterius, quia aliàs sequitur ex contraria sententia, renunciationem Episcopatus factam ex licentia obtenta sine speciali causa legitima, sed solum, quia Pontifex vult petenti concedere, cum possit aliter æque bene Ecclesiæ prouidere esse nullam. Consequens autem est falsum; ergo. Et sequela patet ex principio recepto, quod dispensa-

tio facta in diuino iure sine causa sufficienti, non solum illicita est, sed etiam nulla. Falsitas autem consequentis à fortiori ostenditur ex dicendis statim de translatione: & ex parte ostensa est ex verbis, & modo loquendi Innoc. III. in d. cap. *nisi cum pridem*. Et præterea ex consuetudine Ecclesiæ videtur satis nota; quia similes renunciationes facile concedi consueverunt, vel ex leuibus, & ordinariis causis, vel interdum ex speciali favore, beneuolentia, aut remuneratione: & nemo circa valorem illarum scrupulum iniecit. Imò si ex eis nullum Ecclesiarum incommodum resulteret, sed statim æque bene eis prouideatur, facillime possunt tales facultates honestari.

Et confirmatur hoc, quia non est contra diuinum ius, ut Episcopus in principio consecratur sine titulo, aut prouisione alicuius propriæ Ecclesiæ, seu Episcopatus; ergo non est contra ius diuinum, ut postquam consecratus est, & alicui Ecclesiæ dicatus, per renunciationem maneat consecratus ab omni cura alicuius Ecclesiæ liber. Consequentia patet à paritate rationis: & antecedens constat, quia nulla talis prohibitio inuenitur iure diuino lata, nimirum, ut Episcopus non consecratur sine prouisione, seu titulo specialis Episcopatus; quia tale ius diuinum nec scriptum est, nec traditum. Quin potius olim sæpe ita factum esse probabilissimum est; sic enim multi credunt Petrum ordinasse Linum, & Cletum in Episcopos coadiutores suos sine titulo specialis Episcopatus. Idem alii credunt de aliquibus, qui non nunquam in antiquis Conciliis dicuntur Chorepiscopi, esse, scilicet, aliquos consecratos Episcopos sine propria ciuitate, aut Episcopatu, ut per villas, & alios minores populos totius diocesis proprium Episcopum iuuarent. Nec etiam potest ratio talis prohibitionis diuina assignari, cum talis ordinatio Episcopi, nec intrinsecam indecentiam, nec aliam inordinationem habeat. Et sæpe possit esse ad iuuamen aliorum Episcoporum vtilis, vel necessaria.

Denique summus Pontifex nõ minus est Episcopus, & sponfus vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ, quam vnusquisque Episcopus sui Episcopatus; & præterea est proprius Episcopus Ecclesiæ Romanæ, & nihilominus renunciando in vniuersam suæ dignitatem, & Pontificatum, & omni curæ pastorali, non agit contra ius diuinum, cum licite, & valide id facere possit, & aliquando factum sit, nec ad illam renunciationem est necessaria talis causa, quæ ad dispensandum in iure diuino sufficiat; sed sufficit voluntas Pontificis renunciantis, ut infra ostendam: ergo vinculum illud summi Pontificis cum Ecclesia non est indissolubile iure diuino; cum ex consensu partium (ut sic dicam) dissoluatur; ergo idem à fortiori dicendum est de cæteris Episcopis, serua ta proportione, ut mox explicabo.

Tandem possumus simile argumentum sumere ex translatione Episcoporum, nam hæc fieri non potest, nisi dissoluatur vinculum cum priori Ecclesia, alioqui non fieret translatio, sed multiplicatio Episcopatus in eadem persona; sed hæc translatio nõ est diuino iure prohibita; ergo nec dispensatio Episcopi cum sua prima Ecclesia fuit iure diuino indissolubilis. Probatum minor, primò, quia omnia decreta antiqua, quæ translationem prohibent, nunquã indicant esse prohibitionem diuinam, sed Ecclesiasticam valde antiquam. Sic enim ait, d. Conc. Antiochen. cap. 21. *Nec inde transmigret secundum pristinum de hac re terminum constitutum.* Secundò, nunquam fundant illam prohibitionem in prioris vinculi indissolubilitate, sed in incommodis, quæ ex illa sequuntur, quia ordinarie desideratur ex auaritia, vel ambitione, & est occasio, ut Episcopus propter spem, vel sollicitudinem ascendendi ad pinguiorem Episcopatum;

argenti
causatio
nos.

9.
Probatur
quarto.
Non est
contra
diuinum
iure
Episcopatus
sine
titulo.

D. Petrus
Linum &
Cletum in
Episcopos
ordinauit
sine
speciali
Episcopatu.

10.
Probatum
quinto.
Summus
Pontifex
potest
renunciare
Pontificatu.

11.
Probatum
sexto.
Translatio
Episcopatus
non est
contra
diuinum
iure.



non amet primam sponfam, quantum debet, nec debitam curam, & sollicitudinem illius gerat, quae incommoda sunt extrinseca, & licet sufficiant ad prohibitionem ordinariam Ecclesiasticam ferendam, non tamen ostendunt absolute ius diuinum naturale, vel positium. Tertio, quia eadem decreta non absolute prohibent translationem, sed ne fiat propria autoritate, ac voluntate, sed *vel necessitate, vel auctoritate maiorum*; ut dixit Pelag. II. d. epist. vel, *non sine causa*, ut dixit Gelasius.

12. In multis prouinciis consuetudo transferendi Episcopatus introduci solet.

Quarto est non leue signum, quod sepe contra-ria consuetudo in multis prouinciis Ecclesiae intro- duci cepta est: ut testatur Iul. I. supra, & Osius in Conc. Sardicen. Non enim raris frequenter id fieret, si contra ius diuinum esse crederetur. Denique hoc maxime statuet usus Ecclesiae, quem nunc etiam vi- gere conspicimus, magna enim facilitate, & frequen- tia huiusmodi translationes fiunt; & quamuis cre- dendum sit, semper intercedere rationabilem cau- sam, ad prudentem, & ordinariam gubernationem sufficientem; nihilominus est euident, non semper, imò raro desiderari causam publicam tantae neces- sitatis, vel utilitatis Ecclesiae, quae ad dispensandum in iure sufficiat. Quia ordinariè in huiusmodi transla- tionibus possent aequè digne, & sufficienter Ecclesiae vacantes sine translatione prouideri, & nihilominus propter maiorem congruentiam, vel remuneratio- nem personarum, vel alias similes causas sunt a Gela- sio à minori ad maiorem Episcopatum. Quae ratio- nes sufficiunt quidem ad dispensandum in humano iure, non autem in diuino; ergo signum est sentire Pontifices, hoc totum esse Ecclesiasticum, non diu- num; alioquin sequeretur huiusmodi omnes prouis- siones Episcopatum per huiusmodi translationes esse non solum iniqvas, sed etiam inualidas, quod dicere absurdissimum est; esset enim hic intolerabi- lis error moralis in Ecclesia.

13. Coniugium est, ut non- dum Episcopum sua Eccl- sia non esse priorem. Et idem mihi videtur sentire D. Thomas in loco paulo inferius citando. Verum ex hoc, quatenus ibi dicit translationes Episcopatum propter incommoda, quae sequuntur, prohiberi; per se ta- men non esse malas; nec cauendas esse nimium. Idem sentiunt Thom. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 28. num. 13. & Petr. Ledesma. de matrim. quest. 53. art. 3. post concl. 3. vers. sed vt haec. Quatenus autem Episcopum electum, & confirmatum, si non sit conse- cratus, nec ordinatus in sacris, posse liberè resili- re, & ad nuptias transire; quia non emisit uorum castita- tis, quo fiat inhabilis ad matrimonium; & addunt, hoc nullo iure illi prohiberi.

14.

Sed hoc vltimum videtur esse contra Innoc. III. in d. cap. inter corporalia. dicentem, Sicut Episcopum conse- cratus sine licentia summi Pontificis suam non debet Eccl- siam derelinquere, sine electus, & confirmatus. Cum non debeat in dubium reuocari, quin post electionem, & confir- mationem canonicam, inter personas eligentium, & electi coniugium sit spirituale contractum, cui profectò Episcopalis dignitas, id est, consecratio, nihil addit. Vtique quòd vinculum augeat, licet addat specialem ordinis po- testatem. Propter quod dicitur in cap. licet. eodem tit. per consecrationem Episcopi eius spirituale con- iugium cum Ecclesia confirmari. Quapropter cen- seo, Episcopum electum, & confirmatum ante sa- cram ordinationem non posse sine peccato resili- re, & in matrimonium contrahere sine Pontificis licentia. Et ita postea docuisse videtur Sanch. lib. 4. in Deca-

Episcopus electus & confirmatus ante ordinationem sacramen-

log. cap. 17. num. 6. Nihilominus tamen addo, si de facto contrahat matrimonium, esse validum propter rationem factam, & consequenter dissolui prius vin- culum; & talem personam fieri inhabilem ad Epi- scopatum, secundum praesentem Ecclesiae morem. Et hoc satis est, vt intelligamus non esse indissolubi- le iure naturali, aut diuino vinculum Episcopale, sic- ut est vinculum matrimonii carnalis. Et respondendo ad argumenta, hoc magis declarabitur.

15. Respondetur ad sum- dam in sum- mario. Caiet.

Ad fundamentum Caietani respondeo negando consequentiam dato antecedenti in bono sensu, supponit enim Episcopum esse causam principalem effectuum, seu functionum sui muneris, quod pos- set in rigore negari. Quia si sit sermo de functionibus ad potestatem ordinis pertinentibus, potius est cau- sa instrumentalis, seu ministerialis. Nam sicut omnia sacramenta sunt Christi instrumenta in gratia, aliis- que supernaturalibus effectibus praestandis; ita mi- nistri sacramentorum in ipsis sacramentis efficien- dis in virtute Christi, & vt instrumenta eius operan- tur. Vnde sicut sacerdos consecrat in persona Chri- sti, & vt minister eius; ita & Episcopus eodem modo confirmat, vel ordinat, aut consecrat alios. Idemq; ferè est de functionibus ad iurisdictionem spectanti- bus, quia semper Episcopi operantur, vt Christi vi- carij. Nihilominus tamen loquendo moraliter de his actionibus, praesertim, vt ad gubernationem ani- marum, & ad iurisdictionem pertinent, non inme- ritò dicuntur Episcopi cause principales, quatenus verè sunt Principes Ecclesiae, & propriam, ordina- riam, ac superiorem iurisdictionem habent, per qua- quasi principali, ac propria virtute operantur, ad mo- dum causarum primarum, licet à causa vniuersali, & magis superiori pendant. Ex hoc autem antecedenti sic concessio, non rectè inferitur teneri Episcopum ex iure diuino naturali ad permanendum in illo munere, nec sequitur vinculum Episcopi cum sua Eccl- sia, vel cum Ecclesia vniuersali, esse immutabile quoad obligationem ministrandi in tali munere.

16. Causa principalis non emittitur ex natura sua, sed ex natura sua, & effectus sui, ut auct. affirmas.

Cum autem ad probandam illationem Caieta- nus assumat illud principium, quòd causa principalis ex natura sua tenetur assistere suo effectui, si loquatur de cau- sa physica naturaliter agente, est nimis metaphorica, & impropria locutio, ex qua nullum argumentum ad causam, & obligationem moralem assumi potest. Nam causa naturaliter agens non est capax obligatio- nis, sed naturalis inclinationis, ac necessitatis in modo agendi, & ideo semper assistit effectui, si ma- teriam, & alias condiciones necessarias coniunctas habeat, non tamen est simpliciter immobilis, quia potest priuari qualitate, per quam agit, vel aliter im- pedi. Vnde ad summum per quandam proportio- nem inferri potest, Episcopum, quandiu Episcopatu retinet, debere esse talis muneris assistere, non tamen rectè inferitur teneri etiam ad illud minus semper retinendum. Quia non habet illud à natura, sicut causa naturalis habet suam virtutem agendi, sed medio voluntario consensu agendi, potestatem, qua- habet, accipit; & ideo ex natura rei potius videtur posse per eandem voluntatem se priuare tali potestate; & consequenter obligationem assistendi tali- bus functionibus deponere. Sicut Rex est causa mor- talis principalis in suo regimine, cui tenetur assistere quandiu est Rex: non tamen tenetur iure naturali semper esse rex, sed potest regno cedere, & ita illa obligatione priuari.

17. Confusio- tur idem principium alio exco- plo.

Estque aliud exemplum fortius in causa partim morali, partim physica proxima principali. Nam coniuges sunt causa physica principalis prolis, & qua- tenus libere conueniunt, sicut causae morales, & p ma- trimonium quodammodo assumunt generandi munus, & nihilominus non tenentur semper iure natura ad

ipsum talis potestatis, sed possunt ex mutuo consensu perpetuo abstinere. Quod si non possunt separari quoad vinculum, nec vnus potest negare alteri debitum ipso iure, id non prouenit ex ratione causae principalis, sed ex speciali ratione talis vinculi, & pacti, in quo non omnino equiparatur illi vinculum Episcopi cum Ecclesia, vt iam tactum est: & respondendo ad aliam sententiam magis explicabitur. Quod si quis vrgat, quia consecratio Episcopi est indelebilis, ratione cuius non potest à se abdicare potestatem ordinis, quam per illam accepit; respondemus, nihil id referre, quia illa potestas per se sola non obligat ad vsum eius ordinatum, vt indicauit Pontifex in d. cap. inter corporalia: nam in hoc sensu dixit, consecrationem Episcopi nihil addere vinculo eius. Et id probat, quia Episcopalis praedictus dignitate, id est, character, potest nullius Ecclesiae esse Episcopus, & consequenter non habere obligationem talis muneris. Eodem modo D. Thomas d. qu. est. 37. art. 4. ad 3. dixit, non esse inconueniens, quod talis potestas in aliquo Episcopo sit otiosa. Praesertim, quia non erit omnino otiosa, cum possit quis ea vt ad aliquos Episcopos inuadendos ex consensu eorum.

ipso electo acceptatam, sed per confirmationem Pontificis fit ratum, vt dicitur in d. cap. inter corporalia, & d. cap. licet. Deinde matrimonium carnale consummatur per vsum contrahentium, per quem vinculum ipsum multo fit indissolubilius, vt ex propria materia suppono. At verò spirituale coniugium quantis consummari consecratione dicitur in d. cap. licet. nihilominus nihil ei per consecrationem additur; vtique, quoad firmitatem vinculi; vt ex d. cap. inter corporalia, habetur. Praeterea matrimonium consummatum per potestatem Pontificis dissolui non potest, vt suppono, coniugium autem spirituale etiam consummatum dissoluitur auctoritate Papae, vt vsu constat. Rursus in matrimonio carnali fieri non potest per dispensationem Papae, vt vnus duas uxores simul habeat: in coniugio autem spirituali fieri potest, & vnus Episcopus duas Ecclesias sponas habeat, & saepe fit. Ergo quantum vinculum Episcopi cum sua Ecclesia vocetur coniugium spirituale, non est propterea necessarium, vt habeant similitudinem in naturali vinculi indissolubilitate.

Ad verba autem Innocentii dicentis, Deum sibi referuasse huius vinculi Episcopalis dissolutionem, respondeo haec verba explicanda esse per illa, quae inferius subdit. Non enim humana, sed potius diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Iesu Christi) Episcopus ab Ecclesia remouetur. Igitur eo modo, quo dissoluitur illud vinculum auctoritate diuina, eodem modo vinculum factum est indissolubile auctoritate diuina, id est, auctoritate diuinitus data Vicario suo. Et eodem modo sibi Deus referuauit illius vinculi solutionem, vtique per Vicarium suum: nam sicut Deus soluit per suum Vicarium, ita per eundem referuauit. Et in eodem sensu illa tria sunt reseruata Romano Pontifici, non tam constitutione canonica, quam auctoritate diuina; quia ipsa constitutio canonica in auctoritate diuina fundata est.

Declaratur amplius haec mens Pontificis. Nam licet Episcopatus sit ex immediata institutione diuina, nihilominus determinatio quoad modum regiminis, & iurisdictionis, & alias conditiones talis praelationis, non est ex immediata Christi institutione, sed Vicario suo illam commisit: vt de diuisione diocesium est clarum, & de iurisdictione magis, vel minus restricta, alibi diximus, & dicemus latius in 6. tom. ad 3. p. Sic ergo in praesenti, licet Christus instituerit, vt Episcopi essent ordinarii Principes, Pastores, & Doctores suarum Ecclesiarum, determinationem illius praelationis quoad perpetuitatem, vel immobilitatem eius, suo Vicario commisit, & ab eius voluntate, & arbitrio prudenti, ac rationabiliter pendere voluit. Pontifices autem decreuerunt, vt talis cura esset perpetua, ita vt deseri non posset sine Pontificis licentia; & ideo facta hac determinatione, dissolutio manet reseruata Pontifici, non tam constitutione canonica, quam diuina. Tum quia illa determinatio ab institutione diuina suam vim, & efficaciam habet: tum maxime, quia facta determinatione, qui acceptat Episcopatum sub ea conditione & modo, confirmationem eius recipit, vt sine licentia confirmantis illum deserere non possit, & sub eadem conditione obligationem acceptat: & ideo ex vi pacti, ac subinde ex naturali obligatione, non potest suo arbitrio retrocedere. Hinc ergo sufficienter solutum est primum argumentum, quod ex illo textu sumebatur. Nam reseruatio illa dicitur ex institutione diuina mediate, non proxime, vt declaratum est.

Ad secundum fundamentum sumptum ex similitudine

20. Explicatio verba Innocentii in consuetudine illa.

21. Declaratur vltioris officii mens. Episcopatus institutio est ex institutione diuina; determinatio vero quoad modum regiminis, & iurisdictionis est ex iure Ecclesiae facta.

Episcopatus de orare Episcopatus non reseruatur. Papa, ex institutione diuina mediata, non reseruatur.

18. in praesenti.

19. in praesenti.

20. in praesenti.

Solutio secundum fundamentum.

litudine ad matrimonium carnale, iam responsum est, non esse necessarium, quod exemplum sit in omnibus simile, sed satis esse, ut sit proportionale. Matrimonium enim, ut est contractus, est quodammodo naturale, & iuxta exigentiam naturae habet quandam indissolubilitatem naturalem: coniugium autem spirituale est additum ex institutione divina, quae in particulari determinatur per constitutionem canonicam, & ideo magis determinata est ex natura rei indissolubilitas matrimonii, quam Episcopatus. Quamvis etiam illa indissolubilitas matrimonii rati non sit tanta, quin per Pontificem possit dissolvi; & tunc etiam non ab homine, sed à Deo dissolvitur; quia eius autoritate fit dispensatio.

23. Tertium fundamentum est.

Ad tertium sumptum ex posterioribus verbis allegati textus dicentis, non tam constitutione canonica, quam constitutione divina, reservatam esse Deo dissolutionem Episcopalis vinculi, iam etiam responsum est, reservationem dici esse ex institutione divina, quia in illa radicitur; non quia immediate ab illa fit, & eodem modo posse indissolubilitatem vinculi non absolute, sed cum illa conditione, ut non fiat sine autoritate Pontificis, esse radicaliter ex institutione divina, vel non sine interventione pacti sub conditione, media autoritate divina, per Pontificem determinati. Et ita etiam non obstant alii duo textus; imò hoc confirmant, quia caput huius, expresse addit modum, quo spirituale coniugium indissolubile fit, scilicet, sine autoritate Vicarii Christi, quia contractum est per modum cuiusdam contractus, sub tali onere, & conditione. Et ideo in cap. nisi cum pridem, fundamentum huius obligationis dicitur esse fides data in contrahendo talis vin. ubi. Non est ergo immediate de iure divino, sed mediante data fide cum onere, & obligatione, seu conditione autoritate Pontificum praescripta.

24. Secundum opinio est.

Ora hinc videtur alia opinio, dicens hanc immobilitatem Episcopatus cum obligatione non deserendi illum sua sponte, orti ex peculiari voto, quo Episcopus se obligat ad perpetuam pastorem curam talis Ecclesiae. Haec fuit sententia D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 4. 5. & 8. & clarius quæst. 185. art. 4. & quæst. 189. art. 7. & Opusc. 18. Et sentit hoc votum esse solemne; & in eo fundari, quod Episcopus non possit Episcopatum deserere, nec ad alium se transferre sine dispensatione Pontificis. Quam sententiam secuti sunt Carthusian. Opuscul. de regimine Episcoporum art. 3. Soto lib. 10. de iust. quæst. 2. art. 4. & Waldens. in tom. 3. doctrinalis fidei, lib. 3. tit. 2. cap. 17. Et hoc putant necessarium ad veritatem status Episcopalis; quia existimant, non posse statum perfectionis sine voto solenni consistere. Et ratione huius voti indicat etiam D. Thomas in institutione Episcopi intervenit professionem solennem, per quam Episcopus in statum perfectionis constituitur. Cum autem D. Thomas fateatur, hoc votum esse dispensabile per Papam, & id neget de votis solennibus religiosorum; necesse est, ut non eodem modo de utriusque solennitate senserit: ac proinde solennitatem huius voti Episcopalis esse tantum quasi extrinsecam, & accidentalem, ac iure humano introductam. Et ideo in præcedenti puncto dixi, D. Thomam in ea opinione fuisse, ut vinculum Episcopi cum sua Ecclesia non sit iure divino indissolubile.

25. Revertitur ad opinionem.

Veruntamen, si hæc sententia intelligatur de proprio voto, quod in promissione Deo facta consistit, non est probanda; quia nullum fundamentum habet; & eum votum de se sit actus voluntarius, & consilij, non potest sine fundamento cogente affirmari, aut credi necessarium. Et ita sentit Caietanus super D. Thomam in citatis locis Et declaratur, ac probatur; quia in primis consecrationi Episcopi, ut sic, nullum

peculiare votum ex iure divino, vel humano annexum est. Nam de voto castitatis iam dixi solum esse consecrationi Episcopi coniunctum, quatenus illa consecratio supponit sacrum Ordinem, cui annexum est tale votum, vel obligatio castitatis, non iure divino, sed Ecclesiastico, ut libro sequenti dicemus. Potuisset autem Ecclesia illud coniungere ordinationi Episcopi, & non sacerdotii, id tamen non fecit, ideoque nunc non est alia obligatio castitatis in Episcopo, quam in sacerdote; licet forte ex circumstantia personæ, in Episcopo sit maior, ut videbimus infra. De voto item paupertatis, & obedientiae res est manifesta. Idemque de quocunque voto aliquid faciendi ex vi consecrationis, nullum enim tale potest cum fundamento cogitari, nec in eo, qui absolute renuntiavit Episcopatu; aliquid eiusmodi reperitur: ut ex d. cap. inter corpora alia, colligitur. Et tamen in illo manet quidquid consecrationi Episcopali annexum est. Idemque est de illo, qui sine titulo alicuius Ecclesiae Episcopus consecratur. Nam cum illi non imponatur pastoralis cura, non potest votum illius emittere.

26. Nullum votum fit ab Episcopo electo & confirmato acceptante Episcopatu.

Deinde nec tale votum fit ab Episcopo electo, & confirmato, acceptante, & suscipiente pastorem curam. Quia vel illud votum est de præstandis, ac exequendis actionibus sui muneris, vel de perseverando in illo munere: neutrum dici potest. Ergo. Probatur prior pars; tum quia vel illud votum cadit in solas actiones, ad quas Episcopus tenetur ex præcepto charitatis, vel iustitiae ratione officii: & sic non est verisimile imponi tale votum ex obligatione, cum prior obligatio sufficiat. Nec peccatum Episcopi omittere actiones debitas ratione officii habet specialem malitiam sacrilegii contra votum, sed solam, quam habet ex transgressione officii, vel præcepti. Vel illud votum esse creditur de aliquibus operibus supererogationis, quæ aliis non sunt in præcepto, & tale votum esset nimis onerosum, & propria sponte raro, vel nunquam fit nec credo posse Episcopum per Ecclesiam cogi ad illud emittendum. Imò in definitum, & factum, esset indiseretum: & constat de nullo particulari actu fieri. Nam si Episcopus in sua institutione aliqua in particulari promittit, vel iurat, illa non sunt vota specialia Deo facta, sed vel humanæ promissiones, vel iuramenta, in quibus priores obligationes magis confirmantur, ut videre licet, in cap. ego N. de iur. iur. & in forma iuramenti, quæ in Pontificali Romano habetur.

27. Non fit votum ab Episcopo perseverando.

Altera verò pars de voto perseverandi in munere, probatur primo ex d. cap. Nisi cum pridem, in fine, ubi dicitur, Episcopum esse ligatum nexibus præceptorum, ne volente possit ad religionem sine licentia Papæ: & non dicitur esse ligatum voto. Secundo, ex in suo munere. Vbi illa obligatio perseverandi in fide data fundari dicitur; fides autem data fuit non per votum proprium Deo factum, & speciale, sed per pactum ipsum inclusum in acceptatione talis muneris cum tali onere, & obligatione lege Ecclesiastica præscripta. Tertio, quia hæc obligatio sufficit, & ideo ultra illam, non est, cur cogatur Episcopus ad superaddendam voti obligationem; neque ipse sua spontanea vel voluntate tale votum facere intendit; nec vult se amplius obligare, quam iure divino, vel Ecclesiastico teneatur. Quarto, quia quædo cum aliquo dispensatur, ut renuntiet, vel transferat ad alium Episcopatum, non censetur fieri dispensatio in aliquo voto; alioquin talis dispensatio sine iustissima causa facta, esset nulla; quod est incredibile, ut iam ostensum est. Nam si impleatur illa conditio, ut renuntiatio, vel translatio non fiat sine licentia Romani Pontificis, actus sine vilo scrupulo recipitur, ut validus communi usu Ecclesiae; quidquid sit de honestate illius, vel culpa, ob defectum rationabilis causæ. Vide

38. Inno- centius
Episco- pus
de
statu
Episco-
porum

Vnde ad præcipuam difficultatem, propter quam hæc omnia diximus, respondemus ad immutabilitatem status Episcopi sufficere moralem obligationem permanendi in illo munere ortam ex pacto inito cum Ecclesia, incluso in ipsa acceptatione Episcopatus cum conditionibus præscriptis, vel ex mutuo consensu contrahentium; vel ex iure pontificio. Imò existimo ad rationem status sufficere pactum de se perpetuum, à quo recedere quis nõ possit sine consensu alterius contrahentis. Ideoque licet à Pontificibus non esset addita illa conditione quòd Episcopus non possit deserere suam Ecclesiam sine sua licentia, satis esset ad rationem status, quòd non possit illam dimittere sine consensu ipsius Ecclesiæ, seu eligentium. Quia (vt c. r. dixi) hæc immobilitas necessaria ad statum, non est metaphisica, sed moralis, & ideo per solum pactum sufficienter firmari potest, etiam si ratio possit aliquid per easdem causas dissolui. Hæc autem firmitas multum aucta est in Episcopatu per conditionem additam per Ecclesiastica decreta: ideoque illa satis, superque est ad rationem status. Vnde cum in hac vltima replica dicitur, statum perfectionis non posse constitui sine proprio voto, siue solenni, siue non solenni, negatur assumptum, quia votum non est causa adæquata status, nec id vlla ratione probatur. An verò, quando status firmatur voto, illud esse solenne oporteat, postea videbimus, prius enim oportet explicare, quid illa solennitas supra votum addat.

39. Thomam
D. Thomam

Ad D. Thomam autem respondet Caiet. illum non fuisse locutum de proprio voto, sed lato modo vocasse votum pactum illud, quo se obligat Episcopus ad tale munus. Nam quia tale pactum voluntarium est, & religiosum, id est, ad cultum Dei spectans, & postquam factum est, de se perpetuo obligat, ideo quandam analogiam habet cum voto, & lato modo sollemnitate nuncupari. Quomodo in Baptismo dicuntur fideles votum facere proficendi Christianam fidem, & se subiciendi Ecclesiæ, cum tamen proprium votum non sit, vt alibi diximus. Et in eodem sensu vocatur quodammodo professio, quã facit Episcopus, cum instituitur: non quia illa cum proprio voto ad Deum fiat, nec quia sit eiusdem rationis cum professione religiosa, de qua postea dicturi sumus; sed generali appellatione, qua dicitur aliquis profiteri militiam, vel seruitutem, aut subiectionem, cum se adscribit tali muneri, & promittit vel usum eius, vel fidelitatem, aut quid simile. Qui modus professionis, si alius sit de se perpetuus, ad statum sufficit, & consequenter ad illam satis est illa solennitas, quæ moraliter modo ad publicã, ac perpetuam obligationem, vel per leges postulat, vel ex natura rei sufficiens est, si humanæ leges nihil speciale disponant.

30. Inno- centius
de
statu
Episco-
porum

Et per hæc satisfactum est secundæ rationi dubitandi in principio positæ. Concedimus enim Episcopum non constitui in statu propriæ perfectionis ex vi solius consecrationis; imò nec consecrationem esse necessariam, vt Episcopus censeatur in tali statu constitutus. Quia si sit electus, & confirmatus, iam est in statu, iuxta decisionem Innocentii III. in d. cap. *um inter corporalia*. Et consequenter ille status erit perfectionis, iuxta dicenda in puncto sequenti. Imò ait Innocentius, consecrationem nihil addere illi statui; quod supra de vinculi immobilitate declarauit. Nam respectu operationum perfectarum aliquid addit, cum plura, & satis magna, & perfecta possit facere Episcopus consecratus; quæ sine consecratione per seipsum perficere non potest: & ideo fortasse tunc dicitur esse, quasi in statu consummato in dicto cap. *licet*.

31. Inno- centius
de
statu
Episco-
porum

Deinde ad alteram partem de prælatura, iam ostensum est, quomodo habeat immobilitatem ad
Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

statum sufficientem. Nec obstat, quòd illa immobilitas ex iure Canonico pendeat, quia etiam fundatur in pacto quasi intrinsicco illi muneri, & per ipsius Canonici quasi completur, quod fere in omni statu inuenitur. Adde denique cum hic status intrinsiccè pendeat ex confirmatione Papæ, etiam modo stabilitatis suæ pendere quasi intrinsiccè ex modo, quòd Papa illum confirmat; quia ipse est præcipuum caput in terris cuiuscunq; Ecclesiæ tam vniuersalis, quàm particularis; & ideo eius consensus in tali vinculo constituendo principaliter postulatur; & ab illo maxime pendet eius firmitas. Per ipsius autem Canonici declaratum est, Romanum Pontificem non aliter habere ratum tale vinculum, nisi sub ea conditione, vt sine suo consensu dissolui non possit; & ideo nihil obstat, imò iuuat, quòd hæc firmitas ex iure Canonico pendeat.

CAPVT XVII.

Virum Prælati seculares Episcopis inferiores, vel etiam Parochi, sunt in statu perfectionis.

Hæc questio tacta est in rationibus dubitandi in præcedenti capite propositis: & D. Th. in d. q. 84. illam tractat; quia est ad plenam cognitionem status perfectionis necessaria. Obseruandum enim in primis est, in ea considerari hos Prælatos præcise ratione muneris, secluso voto castitatis, quòd habent, vt clerici in sacris ordinati, de quo statu infra dicendum est. Vnde consequenter supponimus hos non esse in statu perfectionis acquirendæ; quòd à fortiori probant, quæ de Episcopis diximus; ideoque agimus de statu perfectionis exercendæ. Deinde supponimus, ex vi solius ordinationis, non esse hos prælatos in statu perfectionis exercendæ; quòd etiam ex his, quæ de Episcopis diximus, suaderi potest. Item de omnibus clericis infra ordinem sacerdotis constitutis, est id manifestum; quia ex vi solius ordinationis non obligantur, nec deputantur ad opera perfectionis. Et licet ratione status clericalis, vel speciale aliquam obligationem habere possint ex præcepto Ecclesiæ, vt ad recitandas horas, vel etiam maiorem vitæ honestatem, ac decentiam requirant, nihilominus hæc omnia non attingunt proprium aliquem perfectionis gradum, sed pertinet ad communem vitam præceptorum. Nam etiam in laicis pro diuersitate statuum possunt plures, vel pauciores obligationes reperiri. Quapropter status talium clericorum non excedit communem statum vitæ Christianæ; licet intra latitudinem illius digniorem gradum obtineat.

cũ de hãrũ
eiusdẽ ra-
tionis du-
bitandũ.

Aliqua
sunt ad
questionem
supponen-
da.

certum est
sacerdos in-
fra ordinẽ
sacerdotie
non esse in
nihilominus
hæc omnia
non attingunt
proprium
statum perfe-
ctionis.

An sim-
plices sa-
cerdotes in
statu perfe-
ctionis sint
probatur
pars affir-
matiuã.

De simplicibus autem sacerdotibus nonnullum dubium esse potest, an ex vi sacerdotalis characteris possint dici in statu perfectionis constituti. Non enim desunt, qui ita sentiant: Vt videtur licet in Antonin. 3. p. in Prolog. §. 4. & 5. & August. de Ancon. lib. de Potest. Ecclesiæ. quæ. 76. art. 1. Et suaderi potest, quia ex vi sui ordinis habent proprium vitæ institutum immutabile, & ad excellentissima opera, quæ magnam sanctitatem, & perfectionem requirunt, ordinatum. Nimirum ad consecrandum corpus, & sanguinem Domini, & ad offerendũ Deo diuinissimum sacrificium, & vt sacerdos sit mediator inter Deum, & populũ, nomine totius Ecclesiæ pro fidelibus intercedendo. Quæ omnia ad eò sunt excellentia, vt si comparetur consecratio Episcopali ad ordinationem sacerdotis, in eo præcise, quòd vnaquæque per se cõfert. alio videatur sacerdotis ordiatio, quàm Episcopi consecratio. Ergo sacerdos ex vi sui ordinis constituitur in statu perfectionis exercendæ. Et cõfirmatur: nã ratione sui ordinis tenetur ad maiore

